



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Henrici Canisi[i] Noviomagi, Belgæ, Jn Academia
Ingolstadiensi SS. Canonum Profess. Ordinarii & Primarii,
Opera Quæ De Ivre Canonico Reliqvit**

Canisius, Heinrich

Coloniae Agrippinae, 1662

Caput VII. Decimas integrè persolvendas esse, & quando, & ubi:

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62169](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62169)

autem C. De appellat. Vel nisi cessante appellatione peratur ex causa in integrum restitutio adversus sententiam. Nam & hac ratione rescissâ sententiâ, causa in pristinum statum reponitur, & pro-

ductioni privilegii locus sit, adeoque tota causa de novo agitur, c. Suscitata De in integ. restit. & l. Nemo s. D. eod. tit.

CAPUT VII.

Decimas integrè persolvendas esse, & quando, & ubi:

SUMMARI A.

1. Decima prædiales statim collectis fructibus integra debentur.
2. Cujus periculo sint, si non præstentur.
3. Cujus expensis in rebi debeant.
4. Personales decima quando præstanda.

Decimas integrè, id est, absque ulla diminutione sive detractioe, præstandas esse probant textus Decretal. in c. 4. s. 8. c. 21. 23. 26. & 31. hoc tit. Idque si prædiales decimæ sint, statim fructibus collectis, id est, à solo separatis, c. Cum homines 7 Extr. eod. Ita enim collecti fructus dicuntur, per text. in l. Si servus 27 §. si olivam D. Ad L. Aquil. & l. Si ejus 77. D. De rei vindic.

Unde si morâ debitoris decimæ perierint, aut damnatum passæ sint, debitoris periculum est, l. Cum res 49. §. fin. D. Delegat. 1. nisi monitus Clericus, cui debentur, nolit decimas recipere; tunc enim Clerici culpa sibi ipsi nocet, l. Qui decem 72. D. De solutionib. præterquam si idem Clericus postea decimas repetat, aut acceptare velit. Nam hæc specie periculum rursus redit ad ipsum debitorem; cum tunc posterioris moræ, non prioris habeatur ratio, l. Illud 17. D. De peric. & commodo rei vend. & l. Debitor 7. D. De usuris, Gloss. in d. c. Cum homines.

Sed cujus expensis decimæ in horreum Clerici sive Ecclesiæ convehuntur? Debitoris, can. Revertimini & ibi Gloss. xvi. quest. 1. Sed melius est hac in re, aliisque similibus, ad rem consuetudinem loci, quæ profectò retinenda est, arg. c. Cum sint homi-

nes 18. & c. Cum in aliquibus 32. §. fin. hoc tit. ut etiam monet Paporm. in c. Pervenit 5. num. 3. eod. quo loco ex communi usu receptum tradit, quod decimæ frumenti excusæ à paleâ deferantur in horreum Ecclesiæ, impensis villici sive domini. Sed aliter hic in agro Ingolstadtensi observatur, ut ex fructibus à solo separatis & in manipulos (vulgò *gerbas* vocant) conjectis, decimæ earum ex eis separantur & in eodem agro relinquuntur Ecclesiæ, cui debentur. Quare singulorum locorum consuetudo in hac respectanda est.

Personales verò decimæ præstantur in finem anni, ut vult Glossa in d. can. Revertimini & Joan. Andree, quem citat & sequitur Panorm. in d. c. Pervenit; ne si ex singulis operis decimæ statim solverentur, incommodum foret ipsi debitori vel Ecclesiæ; eo quod dici solet, Particularis solutio multa incommoda sæpè adfert, l. Plane 3. D. Familia ercise. De quo ramen non video magnopere laborandum esse, cum hæc decimæ videantur hodie & passim in consuetudinem abiisse. Nisi quod Pet. Rebuff. in tract. de Decimis quæst. 12. num. 5. asserat, solere bonos Advocatos & devotos lucrum suum ex postulationibus referre in scripturam, & postea in fine mensis vel anni illud recognoscere. Imò addit, se multos vidisse, qui dispositos loculos haberent pro decimis; ut, si decem solidos uno die lucrarentur, unum ex iis immitterent in loculos pro elemosynis erogandis, pro anniversariis, pro exhibendo Parocho, & aliis operibus piis exercendis: & bonum esset (subjicit) si sic faceremus.

CAPUT VIII.

Decimæ quibus exsolvendæ.

SUMMARI A.

1. Decima prædiales solvenda Parocho; & quid de personalibus.

2. Parochus loci quo ad decimas intentionem suam fundatam habet.
3. Quid si alium possessione decimarum spoliaverit.
4. Quis hæc titulus legitimus.

Explo.